& nedùm per humanitatem meruit, ut Deus certitudinem datet, & efficaciam signis à se impositis, sed dedit certitudinem eo ipso, quòd signa determinavit.

248 Secundò arguunt, quia necessarium non est, ut in eo, qui instituit hoc sacramentum, sit hæc potestas omninò independens à superiori voluntate, & quasi in primo gratiæ Auctore, sed satis est, quòd tota sacramenti efficacia pendeat ex voluntate creaturę instituentis hujusmodi signum, quia hæc potestas, quam dicimus, communicati posse creaturæ ad instituendum sacramentum, non est primaria, sed secundaria, & delegata; ergo ad illam satis est, ut effectus gratiæ sit etiam positus in voluntate ejus, saltem ex delegatione, & commissione.

Confirmatur, nam rem instituere abstrahit à primario, & secundario instituente, sicut causare abstrahit à causare per modũ causæ primæ, & secundæ; tàm enim causare dicitur causa secunda virtute sibi à Deo communicata, quàm prima virtute propria: sed instituere sacramenta est esse causam sacramentorum; atqui creatura potestate sibi delegata esset vera causa moralis sacramentorum: ergo verè, & propriè esset causa institutrix eorum.

249 Respondetur, satis constare ex dictis, talem potestatem secundariam, & delegatam instituendi sacramenta creaturis cõmunicari non posse, quia creaturę alia potestas communicari non potest, quàm merendi, vel impetrandi, ut Deus det efficaciam signo à se posito, hoc autem, ut suprà declaratum est, necessariò supponit in Deo decretum saltem conditionatũ, quo statuit, ut cuicũq; signo ab homine posito ipse efficaciam det, ideòq; non creatura, sed Deus solus diceretur sacramenti institutor; Tùm quia in tali casu creatura ad summum esset causa moralis sacramenti, quod non sufficit, ut dicatur illius institutrix; nam merens, vel impetrans à Principe, ut ejus intuitu modium frumenti tanti valeat, non ob id rectè diceretur, tale prętium instituisse, sed Rex, vel Princeps. Dices, in tali casu creatura haberet in sua potestate voluntatem Dei saltem moraliter, quia decretum Dei conditionatum de conferenda infallibiliter gratia, si creatura tale signum posuerit, pendet à voluntate creaturæ: ergo verè, & propriè diceretur Auctor illius sacramenti, & Institutor; sicut, qui per ignem sylvam comburit, dicitur Auctor combustionis.

250 Respondeo negando consequentiam, cum ejus probatione, quia comburens sylvam physicè utitur igne, nõ moraliter; creatura autem in casu posito moraliter tantùm uteretur voluntate Dei quatenus Deus illi promisit assistentiã de cõferenda gratia, si hoc, vel illud signum posuerit, quarè sicut cõsulens homicidium, vel precibus impetrans non dicitur illius Auctor, nisi moraliter; sic in proposito creatura ad summum moraliter diceretur illius sacramẽti Auct. non autem verò & propriè, nec aliud convincũt rationes Adversariorum. Ad Confirmatum negatur assumptum: nã instituere, ex vi ipsius nominis dicit primò rem statuere, & inchoare, ut dictum est n. 243, at causare, ex vi nominis non dicit causare per modũ causę primæ, & virtute independenti, sed abstrahit, atq; ideò utriq; causæ indifferenter convenire potest verè, & propriè; qua propter causa secunda respectu suorum effectuum dicitur causa physica, vera, & propria; at creatura respectu institutionis sacramenti diceretur tantùm causa moralis, quod non sufficit, ut dici possit sacramenti institutrix, ut patet in exemplo allato de impetrante à Principe, ut modium frumenti tanti, vel tanti vendatur; quamvis enim Petrus, qui à principe tale prętium impetravit, sit ejus causa moralis, non tamen dicitur illud instituisse.

251 Tertiò arguit Cardinalis de Lugo destruendo fundamentum nostræ sententię, quod erat tale, sacramentum instituitur per potestatem, & efficaciam, quam habet ad causandam gratiam: ergo ille solùm dici potest instituere sacramentum in ratione sacramenti, qui dat illi talem efficaciam, hanc autem solus Deus potest dare, & non homo, ergo &c. At hęc ratio, inquit ipse, non concludit, quia in prædicto casu homo etiam communicaret sacramento illam efficaciam; supponimus enim, quòd Deus dedisset auctoritatem homini, ut sua voluntate posset obligare Deum ad dandã gratiam cum talibus signis; hæc autem obligatio Dei est efficacia, quam habet sacramentum, atq; ideò homo, qui in eo casu causatet hanc obligationem in Deo, causaret etiam sacramentum in ratione efficacis. Quarè inquit, dupliciter posse Deum se habere in delegatione facienda, primò applicando efficaciam signo, quod homo designaverit; secundò dando homini potestatem, ut ipse faciat signum illud efficax, in primo casu non communicat potestatem, sed relinquit homini meram designationem, qui non est actus potestatis, & in hoc tantùm sensu inquit, argumenta nostra concludere; at in secundo communicat potestatem.

Confirmat hanc differentiam exemplo, nam Episcopus potest prącipere alicui sub excõmunicatione, ut faciat, quod illi Petrus prącceperit, in quo casu non dat Petro facultatem prącipiendi sub excommunicatione, sed ipse Episcopus imponit excõmunicationem subdito non facienti, quod Petrus designaverit; alio autem modo se habet Episcopus, quando dat alicui facultatem prącipiẽdi sub excommunicatione, tunc enim hic delegatus nõ solùm potest designare materiam præcepti, sed etiam imponere censuram, quæ adhuc non erat imposita. Ita ergo in proposito, si Deus ipse imponat significationem, & efficaciam illis signis, quæ homo elegerit, non instituit sacramenta ipse homo, sed solùm designat materiam, quam Deus sub disiunctione jam instituit, si verò Deus det homini facultatem imponendi significationem, & efficaciam aliquibus signis, tunc homo exercet actum potestatis, & instituit verè illa sacramenta ex delegatione Dei.

252 Respondeo, jam suprà n. 240, ostensam esse impossibilitatem illius secundi modi, in quo Deus deleget creaturæ potestatẽ, ut ipsa faciat signum illud efficax, tantùm enim applicare potest efficaciam signo, quod homo designaverit, non autem facere, quòd homo ipse det efficaciam, quia hoc esset facere creaturam Deum; Et supposito etiam, quòd Deus dedisset homini auctoritatem, ut sua voluntate possit obligare Deum ad infallibiliter assistendum signis à se positis, non ob id sequitur, quòd dici possit causare Sacr. in ratione efficacis, & illud propriè instituere, ut in exemplis superiùs adductis; nam si militi, qui se benè gessit in bello, det Rex auctoritatem petendi, quicquid voluerit, & obliget se dare, quicquid petierit; si petat, & obliget Regem, ut filii ejus in numerum Senatorum, & Nobilium adscribantur, planè talis institutio à Rege recognosci debet, & nõ à milite, cui non alia potestas communicata fuit, quàm impetrandi, quòd obtineret, quicquid à Rege peteret, non autẽ instituendi, & adscribendi filios in num. Senatorũ, & Nob. quia talis auctoritas, & potestas solũ apud Regẽ residet.

253 Ad Confirm. negatur paritas, potest enim utiq; Episcopus dare alicui facultatem prącipiendi sub pęna excommunicationis si ille sit jurisdictionis Ecclesiasticæ capax, at nequit Deus delegare facultatem creaturæ, ut det efficaciam signis sacramentalibus, quia ut sæpè dictum est, creaturæ alia potestas communicari non potest, quàm impetrandi, ut Deus, det efficaciam signo à se posito, quę potestas in creatura non est, nisi moralis; in eo autem qui dat talem efficaciam signis sacramentalibus, est aliquod physicum, & importat voluntatem tunc efficacem pro omnibus partibus temporis, in quibus illa signa ponentur, ac si tunc essent posita, ut suprà dictum est num. 245. quarè cùm hæc potestas sit physica, nec principaliter, & excellenter, nec ex commissione, & per delegationem creaturę convenire potest, sed soli Deo; unde sicut ipse solus dicitur gratię Dominus, & Auctor, ita etiam sacramentorum Institutor.

254 Quartò ulteriùs arguit idem Auct. quia ad hoc, ut aliquis dicatur aliquid instituere, non requiritur, quòd nullo modo acceperit potestatem ab alio id faciendi, nec quòd alius saltem in communi non habuerit decretum aliquod circà rem illam; sic enim communiter S. Benedictus dicitur Institutor, & Auctor sui ordinis, ac regulæ, licèt Deus priùs fuerit auctor illius consilii; & Sanc. Franciscus, vel S. Ignatius dicuntur auctores suarum regularum, licèt, uterq; ad res regulas stabiliendas protestatem acceperit à Summo Pontifice potuisset ergo aliquis dici auctor, & institutor Sacramentorum, licèt à Deo potestatem accepisset, id faciendi.

Respondetur negando paritatem de institutione Religionum, & Sacram. etenim in institutione Sacram. præter signorum electionem, requiritur in eis efficacia, quam non omnis, qui signa elegit, dare potest, sed solum, qui est auctor gratię; & ad Religionis institutionem nil aliud requiritur, nisi determinario cuiusdam peculiaris modi vivendi, quam vivendi formam Religionum fundatores ex Evangelio hauserunt, sibique & sectatoribus, sequendam, & observandam determinarunt, & à Pontificibus solùm, ut confirmandam, & approbandam postularunt, ideòque ipsi verè, & propriè suorum Ordinum fundatores, & auctores dicuntur, non autem Pontifices.

255 Quintò tandem arguit auctoritate Ecclesiæ, quę loquens de institutione Eucharist. in hymno festi Corporis Christi inquit *dedit fragilibus corporis ferculum, &c. sic sacrificium istud instituit &c.* ubi idem, qui protulit illa verba: *accipite, & bibite*, dicitur instituisse sacrificium, & sacramentum certum est autem, quòd illa verba protulit, ut homo, & nequeunt intelligi de Christo, nisi ut homine; sacrificium enim, ut sacrificium, deduit ab ipso offerri ut homine, nam ut Deus non potestat illud offerre, tùm quia si hæc ab ipso facta fuissent, ut Deo non nominaretur præcisè auctor Christus, sed tres personæ Trinitatis. Confirmat id Suarez ex Aug. *tract. 5. in Ioan.* ubi dicit, potuisse Christum dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum, tanquam vice sua, & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo, & tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino.

256. Respond. Eucharistiam posse dupliciter considerari, & in ratione sacramenti, & in ratione sacrificii; hoc secundo modo utique fuit à Christo institutus, ut Deo, atque in hoc sensu intelligenda sunt verba Ecclesiæ *loc. cit.* neque fuit opus ibi nominari personas Trinitatis; nunquam enim in Sacra Scriptura invenitur, quòd tota Trinitas nominetur, ut principium alicuius operis ad extrà, sed semper Deus, *in principio creavit Deus, dixit Deus, vidit Deus, &c.* neq; ullum adduci potest Scripturæ, vel Patrum testimonium, quod insti-

institutio Eucharistiæ fuerit facta à Christo, ut homine, quoad efficaciam, nisi meritoriè.

Ad Confirmationem nil aliud voluit Aug. illis verbi significare, nisi quòd Christus, ut Deus potuit alicui homini ita se obligare, & ejus voluntati suam omnipotentiam subilicere, ut quibuscunque signis ab eo ponendis dare efficaciam voluerit; vel quòd Christus, ut homo potuit alteri mereri auctoritatem faciendi in baptismo, & cæteris sacramentis, quod ipse faciebat, non autem potestatem simpliciter instituendi sacramenta.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quæ, & qualis esse debeat intentio Ministri ad sacramenti valorem requisita.

157 DUo quærit hæc quæstio, & duo supponit; nimirùm primò supponit cum Scotò 4. *dist.* 6. *q.* 5, & est communis sententia, de facto, & lege ordinaria solùm hominem viatorem esse legitimum sacramentorũ Ministrum, nam ex institutione particulari cujusliber sacramenti constat, potestatem illam solis hominibus viatoribus esse collatam, sic enim dixit: *baptizate omnes gentes*, dùm instituit baptismũ; *hoc facite in meam commemorationem*, dùm instituit Eucharistiam, *& quorum remiseritis peccata*, dùm instituit pęnitentię sacramentum; de possibili tamen, inquit Doctor, & ex privilegio particulari potest sacramẽtorũ esse Minister quilibet ratione utens, sive sit Angelus, sive anima separata, sive homo beatus, sive damnatus: qui quidem Minister nullam habet causalitatem in gratiam, quæ producitur per sacramentum, nisi quatenus habet intẽtionem, & adhibet materiam, & formam, quæ materia, & forma, supposita Ministri intẽtione, est causa moralis proxima, & totalis gratiæ per sacramentum collatę. Unde alterum, quod supponit hæc quæstio, est, quòd præter materiam, & formam sit necessaria intentio Ministri ad valorem sacramenti, ut docet Doct. *loc. cit.* quod quidem primò sancitum est in Conc. Flor. in decreto ad Armenos, cùm inquit: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, scilicèt rebus, tanquam materia, verbis, tanquã forma, & persona Ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*; & postea in Trid. *sess. 6. c. 11.* cùm ait, *si quis dixerit in Ministris, dùm sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionẽ saltem faciendi, quod facit Eccl. anathema sit.*

258 Ex quo deducit Card. de Lugo *dis. 2. sect.* 7. prædictam intentionem esse per se partem intrinsecam sacramenti, eo quòd illa ablata, & manentibus omnibus aliis, non remanet essentia sacramenti, & Conc. Flor. simul cum materia, & forma posuit intentionem Ministri: Cęterùm non est à communi modo loquendi recedendum, quòd intentio prędicta non est per se pars intrinseca sacramenti, ut sunt materia, & forma, sed se tenet ex parte causæ efficientis sacramentum, tanquam conditio simpliciter necessaria nã certè necessaria est quoque certa potestas, & jurisdictio in quibusdam sacramentis, & in adultis necessariò requiritur intẽtio suscipiendi sacramentum, & tamen hæ non dicuntur partes sacramenti intrinsecæ, sed tantùm conditiones, quædam necessariæ ex parte causæ efficientis, Et quidem Conc. Flor. simul cum materia, & forma personam quoque Ministri habentis intentionem nominavit, quę tamen persona non utique ponitur, tanquam pars intrinseca sacramenti, sed tã quam causa effectiva, quarè sic etiam se habebit intentio; ũdè subjacet intentione tollitur sacramentũ, non quia sit pars ipsius intrinseca, sed quia tollitur causa, seu conditio necessaria ex parte causæ efficientis ad ponendum sacramentum.

259 Difficultas autem est, quæ, & qualis esse debeat hæc intentio, *quæ* significat objectum, quod intenditur, vel intendi debet; *qualis* autem appellat modum intentionis, quæ requiritur, an scilicet, debeat esse actualis, aut virtualis, aut habitualis, absoluta, vel conditionata, &c. Itaque cùm duo sint in quolibet sacramẽto cõsiderianda, nimirùm entitas realis sensibilium actionum, & formalis ratio sacramenti circà substantiam intentionis, prącipua difficultas est, an sufficiat in Ministro intentio faciendi illam actionẽ externam eo ritu, quo ab Ecclesia præscribiturtan potiùs ulteriùs requiratur intentio faciendi quod facit Ecclesia, saltẽ in confuso, ut jussit Christus, aut faciendi sacramentum: Sectarii nostri temporis dixerunt, non requiri in Ministro intẽtionẽ de formali ipsa ratione sacramenti, atque ideò etiãsi per jocum exerceãtur actiones ille reales, valere sacramentum, quibus ex Catholici consensit Catherinus opusc. de intentione Ministri, ubi ait, sufficere intentionem exercendi actiones illas reales sine alia intentione de formali ratione sacramenti, etiamsi illæ actiones exerceantur per jocum. Alii quoque Catholici, ut Palud. Sylv. Salmer. Scrib. & alii quos citat Cardinal. de Lugo *loc. cit.* & novissimè sequitur Pasqual. *disp. 72. sect. 4.* dixerũt, esse satis ad valorem sacramenti intentionẽ primo modo; unde putãt, confici validè sacramentum, etsi Minister intendat non conficere, dũmodo intendat facere, & faciat illum actum exteriorem juxtà ritũ Ecclesiæ; quia eo ipso fit, quod intendit Ecclesia; quarè juxtà hos Doct. nequit fieri ex joco, vel contemptu externè, quia tali modo non esset juxtà ritum Ecclesię in quo discrepant hi Theologi à primo modo dicendi Sectariorũ, qui dicebant, quocunque modo, & quacunque intentione fierent actiones illæ externæ, validè confici sacramentum. Communis tandem Catholicorum sententia est, ad valorem sacramenti non sufficere intẽtionem primi generis; sed esse necessariam quoq; intentionem secundi generis; hoc est, ad conficiendũ sacramentum non sufficere solam intentionem de exercendis realibus actionibus sacramẽti eo ritu, quo ab Ecclesia sunt præscriptæ; sed requiri etiam intentionem de conficiendo sacramento formaliter sũpto sive de exercendis actibus externis, quatenus sacramẽtales sunt, ita Scot. *cit. 4. d. 6. q.* 5. D. Bonav. *disp. 6. ar. 3. q.* 1. Alensis *qu. 8. membr.* 3. *ar.* 1. & alii Scholastici passim, tùm veteres, tùm Recentiores.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur quæstio quoad primam partem.

260 EX modò dictis in declarando statu quæstionis satis constat, Catholicos omnes in hoc convenire, quòd intentio Ministri est necessaria, & quòd in conficiendis sacramentis intẽdat facere, quod facit Ecclesia. Verùm quia hoc dupliciter cõtingere potest; uno modo materialiter solùm, ut quando solùm verba profert, & res apponit, nullo actu interiori præsupposito in sua voluntate, quod facere velit, quod Christus instituit; alio modo, & jã formaliter, ut quando nõ solùm profert verba, & res apponit sed interiùs quoq; habet actum voluntatis, quo mediante vult facere actiones sacramentales, ut tales sunt: Quãdo dicimus, ex parte Ministri necessariam esse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, per hãc intentionem non intelligitur sola intentio faciendi meram actionem externam eo ritu, quo est ab Ecclesia præscripta, quasi materialiter sumptam; sed intentio conficiendi illam, quatenus est sacramentum, quod est dicere, requiri intentionem explicitam, vel implicitam conficiendi verum sacramentũ, & faciẽdi, quod Christus instituit, adeoquòd nõ sufficiat prior illa intentio materialiter, ut validũ conficiatur sacramentũ, sed requiratur intentio illa formalis faciendi, quod Christus instituit, vel Ecclesia intendit, vel quod alii Ministri Christi intendere solent.

261 Conclusio sic explicata probatur primò ex definitionibus Conciliorum jam adductis, requirentium ad valorem sacramenti intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia; hæc autem intentio non est faciendi dũtaxat actiones externas sacramẽtales à Christo Domino institutas, quasi materialiter sumptas, sed est etiam intẽtio illas faciendi formaliter, prout sunt sacramenta, ergo &c. probatur minor, quia cùm Concilia definiunt, esse necessariam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, damnant errorẽ Hæreticorum dicentium, quantumvis jocosè, aut per ludum ministretur forma, aut materia sacramenti, vera confici sacramenta, ut patet ex Trid. *sess. 14. c. 6. & can. 9. de pęnit.* ubi inquit, quòd si Sacerdos non serìò, sed joco absolutionis verba proferat, absolutio non valet, quod etiam priùs sancivit Concil. Constant. *sess. ult.* & contrà hunc errorem dicunt Concilia, requiri in Ministris intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, sed qui jocosè, aut per ludũ sacramenta ministrat, verè haberet intentionẽ faciendi res externas, in quibus materialiter sacramẽtũ cõsistit; alia ergo intentio requiritur à Conciliis, scilicèt, faciendi sacramentũ formaliter, ut tale.

Resp. Auctores secundæ opinionis, intentum Concilii Trid. fuisse damnare Hæretcorum errorem, qui nec etiam externam apparentiam intentionis requiri dicebant, volentes, valere sacramentum, quamvis minister ostenderet, & diceret, se non serìò, sed deluforiè agere; at Minister exercendo actiones externas graviter, & absque joco externo, facit, quod facit Ecclesia; non tamen ille, qui proferret verba cum irrisione, & joco externo, tunc enim non faceret, nec vellet facere, quod facit Ecclesia.

262 Verumtamen si verba, & sensus Concilii benè ponderentur, satis apparet voluisse, internam quoque intentionem requiri, ac proindè si hæc desit in mente, sacramentum non valere, quamvis hic defectus non appareat exteriùs; Tùm quia si voluntas requisita faciendi, quod facit Ecclesia, est sola volũtas faciendi exteriùs rem serìò, quia hoc est, quod exteriùs facit Ecclesia: ergo si quis puerum moribundum baptizaret, prolata secretò forma, & abluendo exteriùs puerum, simulans, se illum ob alium finem lavare, non faceret validum sacramentum, quia hæc actio exterior non esset sacra, & sacramentalis, qualis est actio Ecclesiæ, sed prophana, & naturalis appareret; Et si quis haberet verum animum baptizandi puerum, sed fingeret exteriùs, se jocosè verba proferre, ne à circumstantibus agnosceretur Christianus, & diceret: *hoc modo faciunt Christiani, & abluunt hoc modo, & dicunt, Ego te baptizo; &c.* verum baptismum non conferret, quia non faceret actum externum graviter, & serìò, ut facit Ecclesia; valdè autem durum esset dicere, in his casibus parvulo verum baptismum non confetri, quia verum animum habet internum conferendi; per intentionem ergo faciendi, quod facit Ecclesia, intelligitur intentio faciendi sacramentum, ut tale.

263 Deinde probatur ratione; quam Doct. insinuat *loc. cit. dist. 6. q.* 5. in corpore quæstionis, actus sacramentalis nõ est purus actus natu-

naturalis, sed actus humanus, non enim baptismus est pura balneatio cum verbis, sed actus Ministri exercentis signum Dei: habens autem aliquem actum humanum intendit finē illius actus, ut humanus est: ergo cùm finis actus sacramēta lis à Christo ordinati sit alius præter lotionem, & omnem actum externum, hunc finem debet habere exercens sacramentum, atq; ideò alia intentio necessaria est præter intentionem actionis externę; Verum tamen est potuisse, sic quoque sacramenta à Christo instituti, ut in Ministro sufficeret intēntio solius actionis externæ; potuit enim dupliciter sacramenta instituere; primo determinando solam externā cęremoniam, & dando illi vim conferendi gratiam, quotiescunq; & quomodocunque adhibita fuerit, sine ullo ordine ad intentionē Ministri; secundò potuit instituere ditigendo totam institutionē primariò ad Ministros, & dando illis potestatem efficiendi sacramenta; de facto autem hoc posteriori modo facta est institutio sacramentorum à Christo, ut patet de institutione Eucharistię Luc.22. *hoc facite in meā commemorationē*, & de institutione sacramenti pęnitentię: Ioann.2. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*; quare ita Christus sacramenta instituit, ut debeant procedere ex potestate data Ministris, tanquā proprię eorum actiones, itaut Ministri dicantur baptizare, confirmare, peccata remittere, &c. ergo ex vi illius institutionis ad conficiendum sacramentum requiritur intentio Ministri, quia illa moralis potestas data est Ministro, ut ea more humano utatur, hoc est, operari censeatur ex potestate sibi data; non posset autem ita operari, nisi voluntatem habeat conficiendi id, quod ipsi per illam potestatem concessum est, nempè sacramentū conficiendi; ergo debet intendere, & velle conficere sacramentū juxtà potestatem sibi à Christo concessam: vide alias rationes apud Hiqueum in 4. *d.6.q.5.* in Comment.

264 Sed adhuc restat difficultas, quodnam sit objectum formale intentionis Ministri; cùm enim ex dictis constet, in faciēte sacramentū requiri intentionem operandi, & faciendi, & probatū sit, hanc intentionem habere posse pro objecto actū illum externum quem facit Ecclesia, sed hoc non sufficere ad valorem sacramenti, etiāsi seriò, & non jocosè actio illa externa fiat, sed ultrà actionē illam aliquid aliud intendi debere; adhuc declarandum restat, quid sit hoc aliud, quod Minister Ecclesię debet intendere, hoc enim erit objectū intentionis ad valorem sacramenti requisitæ, & quia cōmuniter dicitur, intendi debere, quod facit Ecclesia, concluditur, intentionē Ecclesię esse objectum intentionis Ministri, ideòq; declarandū est, quęnam sit hęc Ecclesia, cujus intentio debet esse objectū intentionis Ministri, an universalis, vel particularis, & præterea quid talis Ecclesia explicitè intendat in effectione sacramentorū, quod saltem implicitè debeat quoqà Ministro intēdi, ut verū cōficiat sacramentū, de qua re Brancatus *disp.3. ar.* 2. plures refert diecēdi modos, quos singillatī examinat, & refutat.

265 Verùm quia inter omnes dicendi modos probabilior est, quem Doct. in hac ipsa quæstione docet, ut fatetur Caspensis hic *disp.6. sect.6.* ideò breviter dicendum est, objectum, seù finem intentionis necessariò requisitę ad valorem sacramenti, si de universali, seù implicito sit sermo, esse intentionem Ecclesię, ut clarè deducitur ex definitionibus Conciliorum iam adductis, docentium in Ministro esse necessariam intentionē saltem faciēdi, quod facit Ecclesia; objectum verò, seù finis proximus, & immediatus intentionis Ecclesię est ratio formalis sacramēti, & ideò diximus suprà ad conficiendum sacramentum nō sufficere solā intentionem de exercendis realibus actionibus sacramenti, sed ulteriùs requiri intentionem de conficiendo sacramēto formaliter sumpto, sive de exercendis actibus externis, quatenus sacramentales sunt; ratio enim formalis sacramenti est objectum, seù finis proximus intēctionis Ecclesię; quarè volens efficere sacramentum, si explicitè intendit, quod Ecclesia intēdit, media illa actione externa facere signū sacrum à Deo institutum, quę est ratio formalis sacramenti; Hoc totum significavit Doct. *qu.5. cit.* dùm inquit, quòd Minister dici potest intendere, vel actum, illum, quem exercet, vel finem, propter quem talis actus est exercendus, quem, ait, duplicem esse, unū principalem, & remotum, utpotè quòd baptizatus fiat filius regni, qualis fieri non potest, si non habet gratiam, alium proximū, & minùs principalem, ut, scilicèt, baptizatus fiat Christianus, sive membrum Ecclesiæ militantis, & utrumq; finem potest aliquis intendere in universali, vel in particulari: & subdit, quòd intentio finis ultimi nullo modo requiritur in baptizante, quia Paganus nullo modo intēdit ordinare illum, quem baptizat ad vitā ęternam; requiritur tamen intētio, inquit, respectu finis proximi, & hoc vel in particulari, vel in generali; in particulari, ut si intendat, istum intrare legem Christianorum servandam: in generali, si intendit facere circà istū, quod Christiani facere solēt circa suos. Ita discurrit Doct. *loc.cit.* quibus verbis non solùm infinuat, ad valorem sacramenti requiri in Ministro intentionem faciendi verū sacramentum, seù quod idem est, faciendi id, quod facit Ecclesia; sed ulteriùs significat, opus nō esse intendere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit vera Ecclesia, quæcunq; illa sit, seu quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani, ista enim in idem reciduunt; & ratio est, quia Hæretici hujusmodi intentionem non habent, imò neque Græci ad Romanam Ecclesiam specialiter aspiciunt, & tamen vere baptizant, ergo &c.

266 Sed queres, quid si aliquis intēdat facere, quod facit aliqua Eccl. particularis, & falsa, & ut Genevensis, vel Anglica, & intendat non facere, quod facit Ecclesia Romana? Plura ad hoc dubiū habes apud Caspensem *loc.cit.* & Poncium *dif.41.q.5.* sed breviter dicendum, quod etiam in tali casu validum cōficeret sacramentū quia intentio faciendi sacramentū, scilicèt, baptismum, continetur, in illa intentione generali faciēdi, quod facit Ecclesia Christi; licèt enim Ecclesia Genevensis, vel Anglica, ut particularis erret, & sit veræ Ecclesiæ contraria, non tamen est illi contraria in illa generali intentione, quæ pro objecto habet Ecclesiā Christi, imò in isto objecto cū ea cōvenit, atque ideò sic baptizans habet sufficientem intentionem conficiendi sacramentū; Et hoc etiam affetendum est in casu, quòd hæreticus ille Genevensis velit sequi intentionem suę Ecclesiæ, & intendat non facere quod facit Romna Ecclesia, eo enim ipso, quod intendit facere, quod facit Ecclesia sua particularis, intendit facere, quod facit Ecclesia Christi universalis, quia suam Ecclesiam putat, illius esse membrum, licèt fallatur in cognitione veræ Ecclesiæ; non tollit autem valorem sacramenti error Ministri circà Ecclesiam, sed defectus intentionis, quæ in prędicto casu non deficit.

267 At instat Poncius *loc. cit.* hæreticum in tali casu non conficere sacramentum, quia si habeat voluntatem absolutè faciendi, quod facit illa Ecclesia falsa, per illam voluntatem retrahitur voluntas, quam habuit faciendi, quod facit Ecclesia vera; & formalis, ac expressa nolitio conformandi se cum Ecclesia Romana excludit illam virtualem intentionem inclusam in voluntate faciendi, quod Christus præcipit, & intendit.

Resp. cum Caspensi *loc. cit.* hoc minimè obstare, quin adhuc verum conficiatur sacramentum, quia cùm hæc nolitio, & contraria voluntas oriatur ex ignorantia Ministri existimantis, aliud esse, quod Christus præcipit ab eo, quod Romana Ecclesia præcipit, & intendit; non destruit illam voluntatem faciendi, quod Christus præcipit, atque adeò neque voluntatem faciendi sacramentum; unde talis intentio proprie, & formaliter primæ intentioni non est contraria, sed solùm materialiter, nam intendens facere, quod Christus præcipit, necessariò etiam intendit facere, quod Ecclesia Romana facit, cùm unum, & idem sit; Quòd si non vult id, quod Ecclesia Romana vult, ideò est, quia existimat, esse diversum ab eo, quod Christus præcipit, validitas autem sacramenti, ut diximus, non tollitur ex errore Ministri circa Ecclesiā, sed ex defectu intentionis, quæ in prædicto casu non deficit.

Objectiones solutæ.

268 Sed Contrà necessitatem intentionis jàm designatæ plura obiici solēt. Primò, quia hinc sequeretur, baptismata joco data, & à pueris, ac ebriis ministrata nulla esse, quia fuerunt sine præfata intentione, hoc autem falsum est, quia pueri per jocum baptizati à puero Athanasio, ut ritè baptizati habiti sunt ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, & teste Aug. *tract.5. in Ioan.* baptismus ab ebrio datus validus est, ut constat, *ex cap. Baptismus de consecratione.* Et *lib.7. de Baptis. c.53.* non audet definire, an baptismus per jocum collatus sit validus sed dicit, expectandam esse Dei revelationem. Secundò sequeretur, sacramenta nostra incerta esse, ac dubia, quia non possumus esse certi de intentione Ministri, cùm hæc nobis non constet. Tertio sequeretur, malitiam Ministri alteri nocere posse, quoad salutem animæ, ut si Minister baptizans puerum, intentionem non haberet illum baptizandi, quòd nimis durum videtur. Tandem sequeretur, quòd baptizans, vel absolvens, v. g. fęminam, quam putat, esse virum, vel Petrum, quem putat, esse Franciscum, non conficere verum sacramentum, cùm non sit illa persona, ad quam ferebatur intentio Ministri; sicut in matrimonio, si sit variatio, & error in persona, deest intentio, & consensus, & ideò nullum est matrimonium.

269 Respondetur ad primum, quòd licèt D. Aug. *lib.7. de bapt. contrà Donatistas c.13.* & habetur *c. Solet de consecr. d.4.* proponens quæstionem de baptismo per jocū collato, an valeat, illam insolutā relinquat, & dicat, in tali casu debere peti à Deo jejuniis, & orationibus, quid faciendum sit: Sholastici tamen sequentes Hugonem de Sancto Victore dicūt, dupliciter aliquid posse per jocum fieri, uno modo itaut in re de qua loquimur, animus jocādi feratur in substantiam sacramenti, & ita fit, quando actio illa externa, v. g. ablutio, & prolatio verborum fit solùm animo jocandi, aut simulandi; & in hoc casu dicunt, sacramentum esse nullum ex defectu debitæ intentionis alio modo, itaut animus jocandi nō feratur in substantiam sacramenti, sed solùm in illam actionem externā, aut aliquid aliud, quia nimirùm verè Minister, dùm facit illam actionem externā, habet intentionem faciēdi in ipsa id, quod facit Ecclesia, sed vult etiā, eandem actionē ordinare ad animi oblectationem, vel etiā ad pejorem aliquem finem, & in hoc casu dicunt, sacramentum esse validum, quia tunc verè intendit sacramentum conficere, licèt propositam sibi habeat oblectationem, tąquam finem externū illius actionis; sicut si Sacerdos verè intendat absolvere

vere cōfitentem à peccatis, sed ob finem quæstus faciendi, in casu autem allato in argumēto, sicut & in aliis similibus, qui referri solent, facta est ablutio externa ab Athan. dùm erat puer, hoc secundo modo quia verè voluit baptizare, licèt acceperit illā actionem pro materia ludi, & oblectationis, quod clarè colligitur ex Auctoribus, hanc historiam referentibus, qui scribunt, Athan. nō quosvis pueros, sed solùm Cathecumenos baptizasse, & omnes Ecclesię cęremonias adhibuisse, & ideò pueri illi, ut ritè baptizati habiti sunt à Patriarc. Alexandri, quia sufficientia signa ad colligendum ibi fuisse debitam intentionem, non autem quia existimaverit, solam intentionem faciendi externam actionem esse sufficientem.

Quandò verò Aug. *tract.5. in Joan.* inquit, baptismū ab ebrioso datum esse validum, inquit Doct. 4. *dist. 6. q.5.* in fine, ibi per ebriosum nō intelligere ebrium actualem, sed qui assuetus est inebriati, dicens, malam illam consuetudinem non reddere baptismū invalidum; quandò tamen est actualiter ebrius, non valet, quia impeditur usu rationis, & intentionem habere non potest; Denique quamvis *lib.7. de baptis. c.53.* dixerit, se de hac re dubitare, quia in nullo Concilio res adhuc fuerat definita; nunc tamen dubitare non licet, quia definita est in Concil. *loc. cit.* & anteà in Florentino, in instructione Armenorum.

270 Ad secundū negatur sequela, loquendo de certitudine morali, quę ad nostram sufficit justificationem, & salutem, ut patet ex illo ad Philipp. 2. *Cum timore, & tremore salutē vestrā operamini*, unde argumentum probat tantùm, nos non habere certitudinem metaphysicam, & speculativam, quæ quidem non est necessaria, non autem probat de certitudine morali, quę sufficit ad paccādos animos; sicut hac morali certitudine quiescit filius credens fermè esse talis patris filiū, cùm tamen facilè posset fieri ex levitate matris, vel tentatione, aut alia occasione, quòd esset alterius patris filius. Dices, hac ratione non voluisse Christum, ut passim docent Patres, & Concilia, sacramenta dependere à sanctitate, aut fide Ministri, quia nempè multi redderentur perplexi de valore sacramēti; ergo magis id congruit, ne dependerent etiā ab ejus intentione. Negatur paritas, quia status Ministri quoad probitatem, & fidem minùs certus est, neque de ea potest esse tāta certitudo moralis, sicut de intentione, de qua ipse Minister potest certitudinē physicam habere, non autem de sua probitate, & fide; & multò facilius est, Ministrum habuisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia seù quod idem est, faciendi verum sacramentum, quàm ipsum esse justum, & sanctum, & ideò decuit, valorem sacramenti ab intentione Ministri dependere, non sic à sanctitate.

271 Ad tertium dixerunt aliqui, Deum in tali casu supplere defectum occultum intentionis Ministri, conferendo effectū sacramentum sequuntur Valentia, Sylvester, Angelus, & alii Summistæ; At alii Theologi magis communiter id non admittunt, & gratis concedunt, Ministrū in illo casu puero nocere removendo ab illo remediū salutis, quia nempè non habetur ullum in Scriptura, vel Patribus fundamentum ad dicendum, in defectu Sacramenti Deū supplere, & infundere gratiā absque mediis ordinariis; & licèt videatur injustū, hominem hoc remedio privari absque sua culpa, tamen id non est in Deum refundendum, à quo sufficienter provisum est hominibus modo illo accommodato, sed in ministrū initur perditio puerorum in utero Matris absque Baptis. decedentium, ita Cabrera, Caspensis, Aversa, Diana, & alii passim, qui putant, Deum ita rigorosè alligasse virtutem suā sacramentis, ut aliter in eo casu non provideat ad salutem, neque gratiam justificationis infundat. Sed optimè hic inquit Hiqueus 4. *d.6.q.5.* in fine neutram partem firmum habere fundamentum, quod enim urgēt isti: *Nisi quis renatus fuerit &c.* ubi baptismi necessitas denotatur intelligi potest in reipsa, aut in apparentia, & in foro Ecclesię susceptī, quando vitium intentionis exteriùs non proditur: & quod illi prę sumunt de salute sic baptizati, multùm quidē divinę congruit misericordiæ, & in eam sententiam Aug. *loc. cit.* valdè propendet; nec deest congruēcia, ut Deus causa principalis instituens & causans hominum salutem medio Sacramento, in eo casu, quo sacramentum absque ulla suscipientis culpa, sed solùm conferentis sit nullum, sua divina misericordia defectum suppleat in his, quæ ad salutem sunt necessaria; Sed neque ex alia parte adest fundamentum convincens, ita fieri; quarè concludit Hiqueus, totum esse Dei providentiæ, & dispositioni secretæ reservatum.

272 Ad quartum, negatur sequela cum ejus probatione, quia regulariter loquendo in illis casibus Minister habet intentionem conferendi sacramentū personę prę senti, licèt falsò existimet, esse virum, vel Franciscū, hoc quidem omninò accidentarium est sacramento; Nec valet paritas assumpta de Matrimonii sacramento, hoc enim interveniente personatum errore utique nullū est, cùm enim sit contractus quidam, cujus materia sunt ipsa corpora, quorum dominium mutuò traditur, intentio cōtrahentis limitatur ad hanc personam in particulari cū aliorum exclusione, sicut in aliis contractibus contingit, non sic in sacramēto baptismi, vel pęnitentiæ; Quòd si ponatur casus, quod Minister velit huic determinatæ personæ, v. g. fęminæ sacramentum conferre cum aliarum exclusione, quod regulariter loquendo fieri non licet, utiq; in tali casu concedendum est, nullum esse sacramentum.

Deinde arguitur ratione veluti à priori, positis partibus essentialibus compositi ponitur compositum; sed solùm res, & verba sunt partes essentiales sacramenti, non autem intentio Ministri, ergo hæc non requiritur; minor patet ex dictis n. 258. & rursus probatur, quia sacramenta sunt sensibilia, ergo non includunt intentionem, quæ non est sensibilis.

273 Confirmatur, quia quodcunq; signum quoties in re ponitur, etiamsi absq; intentione significandi ponatur, semper est signum, & significat; sed res, & verba sunt signum gratiæ, & sacramentum; ergo quoties ponuntur, etiamsi absque intentione ponātur, sunt sacramentum. Deniq; actio egrediens ab aliquo, nomine alterius, non dependet ab intēctione particulari ejus, à quo egreditur, sed illius, cujus nomine fit; sed baptizatio, v. g. fit à Ministro nomine Christi; ergo non dependet ab intentione particulari Ministri, sed ab intentione Christi, quæ semper adest; Et hoc est argumentum, quod sub aliis verbis conficitur à Doct. *loc. cit.* quod Minister se habet, ut causa instrumentalis respectu sacramenti; ergo inquantum agit, ut instrumentum respectu causæ principalis, non requiritur in eo alia intentio diversa ab ea, quæ est causę principalis, per quam dirigitur, & assumitur ad suum finem.

274 Resp. quòd licèt solùm res, & verba sint partes essentiales sacramenti, intentio tamen est conditio simpliciter necessaria ex parte causę efficientis sacramentum; unde licèt sacramentum non includat intentionem, tanquam partem, quia neque est materia, neque forma illius, includit tamen, tanquam conditionem, sine qua non significaret practicè gratiam; eo modo quo dicimus, quòd totum physicum licèt solùm materiam, & formam includat, ut partes ejus essentiales, adhuc tamen includit unionem quoqut conditionem si pliciter necessariam, quia materia, & forma non sunt partes ejus essentiales, nisi quatenus unitæ; sic in proposito res, & verba sunt partes essentiales sacramenti, non quomodocunque considerata, sed quatenus sacramentalia, non sunt autem talia, nisi quateuus ponuntur, & profetuntur ab habente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

Ad Confirmatioueм patet per idem, quia res, & verba sunt signum gratiæ, & sacramentum, non quomodocunque sumpta, sed cum intetione prolata; id enim est sacramentum, quod à Christo assumptum est in sacramentum, & eo modo, quo ab ipso est institutum; Christus autem res, & verba assumpsit cum intentione faciendi sacramentum, ideòq; ista deficiente illa non sunt sacramentum, nisi merè materialiter. Ad ultimum major est vera, quando ille, cujus nomine fit actio, ad valorem illius particularē intentionem in Ministro non requirit; quando autem eam requirit, ut in proposito, falsa est; Christus namque voluit, ut Minister haberet quoque intentionem particularem; Ad argumentum verò, ut à Doctore conficitur, dicendum est, quòd licèt Minister respectu effectus sacramenti, scilicèt gratiæ, sit purum instrumentum in ejus productione; respectu tamen ministerii, & confectionis sacramenti, & ablutionis, qua etiam ablutio sacramentalis est, non est mera causa instrumentalis, sed etiam principalis, & se habet, ut causa secunda, ut declarat Doct. *qu.cit.5. patet ergo.*

275 Dices, ratio sacramenti, scilicèt, significatio gratię ex sola Christi Domini impositione dependet, non autem ex voluntate, & intentione Ministri: ergo si Minister faciat res externas à Christo institutas, in quibus sacramentum consistit, verum conficiet sacramentum, etiamsi illud conficere non intendat.

Resp. quòd esto sacramentorum significatio ab institutione Christi principaliter proveniat; quia tameu noluit Christus rebus, & verbis sacramentorum significationem gratiæ concedere, nisi stant à Ministro, verum sacramentum facere intendente, ideò instrumentaliter saltem, & ministerialiter etiam procedit ab intentione Ministri. Dices rursus, licèt Minister nolit causare effectum sacramenti, non potest sacramenti efficaciam impedire; ergo neq; significationē impedire poterit, licèt intentionem significandi non habeat. Negatur paritas, quia significatio est ipsa sacramenti essentia, ideòq; non potest velle sacramentum, quin eo ipso velit significationem; effectus verò, seù res significata non est essentia sacramenti, ideòque potest aliquo modo Minister velle sacramentum, quin velit effectum. Dices tandem, si quis vellet conficere verum sacramentum, & non dare effectum illius, adhuc nihilominùs effectum sacramenti conferret; ergo pariter si quis vellet res externas conficere, à Christo institutas, adhuc verum conficiet sacramentum, etiamsi illud conficere non intendat. Negatur etiam paritas, quia in voluntate faciendi res externas à Christo institutas præcise, & materialiter sumptas, non includitur intentio verum sacramentum conficiendi; neque ex natura rei, cùm illa ex natura sua sacramentum non sunt; neque ex Dei institutione, ut suprà dictum est; at in voluntate faciendi verum sacramentum, includitur saltem implicitè voluntas daudi effectum illius ex divina institutione.

ARTICULUS SECUNDUS.

Resolvitur Quæstio quoad alteram partem.

276 JAm suprà diximus ab initio questionis, triplicem esse posse Ministri intentionem in sacramentis exercendis, actualem, habitualem, & virtualem, quæ est veluti media inter illa duo membra, ut ait Doctor *4.dist.6.qu.6. lit.A.* quatenus est imperfectior prima, & perfectior secunda; Actualis intentio est actus elicitus circa objectum, vel finem intentum, unde actualis intentio Ministri est, cùm actu cogitat, & formaliter de conficiendo sacramento, dùm conficitur.

Habitualis autem intentio, inquit Doctor, est habitus causatus ex actibus operandi, inclinans habentem ad eosdem specie, vel genere actus: unde talis intentio in Ministro est habitualis facilitas, seù promptitudo ad efficiendum sacramentum ex actuali intentione relicta, quæ nullo modo remanet neque actu, neque virtute, ut de intentione virtuali dicemus, eo pacto, quo est in dormientibus, & ebriis. Recentiores verò habitualem intentionem etiam extendunt ad intentionem merè præteritam, non retractatam per actum contrarium, quæ quidem non est causa effectus; ut si quis semel intendat actum temperantiæ, quem nunquam retractet, dicitur hic habere intentionem temperantiæ habitualem, quòd si aliquando virtutem acquirat temperantiæ, nec recordetur voluntatis præteritæ, dicunt, talem actum præteritum, & non retractatum, non esse causam temperantiæ acquisitæ, nec ad eum concurrere; imò Poncius qu. 5, præter hanc aliam habitualem intentionem non agnoscit.

277 Cæterum nec Scotus, nec alii Antiquiores hanc intentionem habitualē precisè in actu præterito non retractato consistentem satis approbarunt, cùm enim actus præteritus nec secundum suam entitatem, nec secundum aliquid sui maneat, non videtur, quo pacto habitualiter permanere dici potit, aliquin omnes actus volendi præteritis & non revocati ab initio usqad finem vitæ habitualiter permanere dicerentur, quod est falsum, & contrà communem omnium existimationem; nam ut benè discurrit Bta. catus *disp.3.ar.3.* ad hoc ut aliqua forma in aliquo subjecto habitualiter permanere dicatur, sive physicè, sive moraliter; opus est, quòd in eo subjecto, vel habitum aliquem relinquat, vel saltē obligationem aliquam sequentem ad illam formam; quo pacto actus contrahendi universaliter loquendo, ut votum, promissio, donatio, emptio, venditio, &c. postquam facti sunt, moraliter permanere dicuntur, quatenus ex eis transactis manet jus, & obligationem in ordine ad potestatem aliquam, tale jus, & obligationem exigentē, & per eam dicitur habitualiter permanere; non quidem secundū aliquod esse physicum, sed tantùm morale, quo quidem modo Scot. explicat permanentiam peccati habitualis 4. *disp.* 14. *qu.*1. sed actus volendi præteritus, & non revocatus nullo ex his modis in voluntate manet; non quidem physicè per aliquem habitum relictum, ut Recentiores concedunt; nec etiam moraliter, quia nullum jus, & nulla obligatio ex eo præterito in voluntate consurgit; ergo nec physicè, nec moraliter potest dici habitualiter permanere juxtà cōmunem loquendi modum de permanētia habituali. Tùm deniq; quia quoad hoc intentio habitualis à virtuali non differret, nam hęc quoq; est actus præteritus, cujus operans non recordatur, quando agit; non igitur habitualis intentio ita explicari debet, quemadmodum faciunt Recentiores, ut ille intentionem habitualem habere dicatur, quando priùs habuit voluntatem aliquid faciendi, & eā nūquā revocavit, qua ratione habitualiter permanere censeatur, donec revocetur, sed ita ut sit prōptitudo quædā acquisita per actus præcedentes, qualis etiā in dormientibus esse potest, ut explicat Doct. *loc.cit.* Ad huc tamen verū est, Doctorem agnovisse quoq; & aliquando admiisse illum modum intentionis habitualis, scilicet *d.4.q 4.lit.H.* ubi ait, quòd potest aliquis judicari habitualiter consentiens, si aliquando habuit consensum actualem, non interveniente dissensu.

278 Virtualis intentio dicitur illa, qua operans virtute actualis intentionis priùs habitæ actualiter facit omnia, quæ facit, tanquam ex radice, ita quòd illa intentio actualis fuit principium ordinatum ad omnes istos actus, & habet in se virtualiter intentionem propriam cujuslibet istorum actuum; sicut intentio finis habet in se virtualiter intentionem propriam cujuscunque ordinati ad finem, & pro tanto manente intentione cujuscunque ad finem ordinati, manet ista intentio actualis prima virtualis in omnibus istis; quod explicat Doctor exemplo facientis iter ad D. Jacobum in Galitia, hoc enim modo intendens illuc ire, ex intentione hujus finis ordinat multa alia necessaria ad illum finē, exequens autem illa ordinata non semper cogitat de D. Jacobo, nec de reverentia ejus; semper tamen meretur, quia vel habet semper intentionem eorum, quæ sunt ad illum finem; cujus est illa prima intentio, vel habet actus aliquos sequentes ex illis intentionibus, licēt cum illis actibus concurrant aliqui actus distrahentes ab intentione illa prima, & ab intentionibus propriis eorum, quæ sunt ad illum finem.

279 Sed tota difficultas intentionis hujus consistit in explicando, quomodo possit aliquis effectus, qui modò est, reduci in illam intentionem primam, sicut in causam, si nunc non est ista intentio, neque aliqua alia imperans istum actum; externa namque actio non solùm in fieri, sed etiam in conservati pendet ab intentione, seù voluntate interna; ergò sicut externa actio inchoati nō potest sine actuali intentione, ita neque conservari, & perfici; explicandum est ergo, quomodo intentio actualis, quæ jā præteriit, duret in suo effectu. Ob hoc argumentum dixerunt aliqui, actualem intentionem relinquere post se virtutem activam, quæ sit principium actionis externæ. Verùm difficile est explicare, quæ & qualis sit ista virtus, & in quo subjecto recipiatur. Richardus, ut refert Doctor, dixit, esse qualitatem quandam, seù dispositionem, ac veluti impetum; qui vi actualis intentionis imprimitur exterioribus organis potētiæ motivæ, & durat cessante actuali intentione, sicut in lapide projecto imprimitur aliquis impetus ab actione proiicientis, per quem impetum effectivè continuatur motus lapidis, etiam cessante actione proiicientis. Hoc breviter reiicit Doctor, quia mirum videtur, quomodo voluntas possit esse virtus factiva causans talem formam vel qualitatem impressam in ista potentia organica; & mirum etiam, quòd si eam causaret, quomodo, & undè paulatim deficeret.

280 Huic difficultati occurrit Doctor dupliciter, primò inquit dici posse, quòd in appetitu sensitivo, sivè phantasia est aliqua dispositio, secundù quam movet, cessante actu voluntatis imperātis; Hæc autē dispositio, inquit Hiquęus, non est alia, quàm actus ipsarum potentiarum, ad quem applicantur ex imperio volūtatis per subordinationem ad ipsam; manente appetitu applicato manet etiam potentia motiva applicata, & sic sequitur motus in actionē externam, & hæc sufficit ad ejus continuationem sine ulla qualitate impressa à volontate, quam respōsionem amplectitur Coninchius hoc loco *q.46.a.2.dub.2.* cum aliis Recentioribus. Hæc tamē solutio non omninò satisfacere videtur, quia talis, & tanta mentis distractio esse potest, ut etiā imaginationem divertat; vel si adest motus imaginationis, concedi quoque potest, ac debet, adesse aliquis motus, & actus rationis, quia universaliter loquēdo actus externi, & imperati in homine non videtur fieri posse ex solo motu, & sperio partis sēsitivę absque motu, & imperio partis intellectivę.

Hac de causa Aversa, Card. de Lugo, & alii dicunt, permanere aliquem saltem tenuem, & confusum actū in intellectu, & voluntate hominis relictū ex virtute actus perfecti antecedentis; permanere, inquam, absque reflexione, qua homo advertat ad talem actū & absque expressa consideratione effectus secuti, sed quantum sufficit ad continuationem actus externi ex prævisa deliberatione, quod declarant exemplo laborātis in vinea ob mercedem. Sed in primis non video, quo fundamento id dicatur, si semel cōceditur, talem actum in potentia intellectiva esse adeò tenuem, & confusum, ut ab operante percipi nequeat; planè si operans talem actū in se non experitur, omninò irrationabiliter asseritur, talem actū adesse. Tùm quia hoc semel concesso, jàm cessaret quæstio de intentione virtuali, imò hæc esset impossibilis; quia semper adesset aliqua actualis intentio, quamvis tenuis, & confusa.

281 Potiùs ergo huic difficultati occurrendum est cum Scot. in secunda solutione, & dicendum, volūtatem habere ordinatę suas volitiones in ordine ad finem, primò intentionem, posteà electionem, tādem usum, & executionem per media ordinata, quādo plura sunt, quibus correspondent actus potentiarum inferiorum cū eodem ordine; potest ergo distrahi voluntas ab actuali volitione finis, sed perseverare in ipsa volitio respectu aliorū, hic & nūc cum præscripto ordine, & sic continuatur intentio ejus virtute in volitionibus subordinatis, ad quas sequūtur actus imperati aliarū potētiarū; quod declarat ibidem Doctor in fine quæstionis exemplis ex naturalibus deductis, quia projecto lapide in aqua, primus circulus est causa secundi circuli, & sic deinceps, non tamen semper manet primus, quamdiu cæteri; Ita etiam universaliter in motu projectorum priùs cessat pars motori propinquior, quā remota; sic ergo pariter illa prima intentio, quę est causa istius ultimæ volitionis, dicitur virtualiter in ista ultima perseverare, quamvis operans distractus sit, & alia cogitet; quia voluntas supposita notitia priùs habita, ista exequitur obiecta ordinatè volita, & has volitiones priùs volitas absque alia nova, vel continuata intellectus cognitione, ut fusè prosequitur Brancatus *loc.cit.* quam solutionem sequitur Suarez *disp.* 13. *sect.* 3. cum aliis Recentioribus, & magis declarat Aretinus *disp.6.q.6.art.2.*

282 Denique addi solet intentio interpretativa, & est, quando quis vult aliquid tantùm in causa, ut qui se inebriat prævidēs, pollutionem, vel homicidium secuturum, tunc dicitur indirectè, & interpretativè velle effectū, quem ex tali causa volita prevídet secuturum; Ad evitandam verò vocum, & terminorum confusionem hic advertēdum est, interpretativam hanc intentionē intellum etiam virtualem appellari solere, quia est membrū Illius, intentio namque virtualis communissimè sumpta, ut etiā sub se interpretativam comprehendit, dividitur in directam, & indirectā, quæ interpretativa dicitur; directa est, quando actualis intentio

quæ

quæ præcessit, habet pro obiecto effectum ipsum priùs cognitum; indirecta verò, seù interpretativa est, quando actualis præcedens non habet pro obiecto effectum ipsum, sed causam eius; & hæc est intentio interpretativa, quę à virtuali distinguitur jàm declarata, quia hæc est intentio indirecta, illa verò directa; his prænotatis.

283 Primò dicendum est, intentionem interpretativam, prout à virtuali distinguitur jàm declarata, non sufficere ad validitatem Sacramenti. Hęc est communis, & ratio est, quia ad Sacram. confectionem requiritur voluntarium directum, nec sufficit indirectū, Christus enim instituit, ut Minister intendat formaliter facere Sacram. quod ipse instituit; unde non baptizaret, qui prevídens, se in somno baptizaturum, & in somuo posteà debitam materiam, & formam super certam personam applicaret; neque consecraret Sacerdos, qui prevídens, se in ebrietate verba consecrationis proláturum, voluntatiè se inebriaret, & in ea ebrietate super debitam materiam verba consecrationis proferret, quia talis voluntas, & intentio non est humana, & libera secundum se, qualis esse debet actio sacramentalis; sed tantùm est libera, & humana in causa, quod non sufficit, quia etsi ex voluntate indirecta procederet, non tenderet directè in materiam, & formam Sacram. alioquin sequeretur, Christum voluisse suum sanguinem dispensari etiam posse per ebrios, & amentes mediis Sacramentis, quod nullo modo credendum est.

Dices, in suscipiente Sacram. sufficit intentio interpetativa, & in causa, ut si quis amens, qui priùs habuit intentionem baptizandi baptizetur, tenet Sacram. ergo etiam sufficiet in Ministro. Confir. quia talis voluntas, & intentio sufficit ad merendum, & demerendum, & si quis prævidens, se in ebrietate occisurum inimicum, & posteà voluntatiè inebriatus illum occidit, est homicida, & ut talis punitur; & si quis volens propter Christum occidi, si posteà martyrium patiens ob pēnarum acerbitatem in phænesim incidat, dicitur verè martyr; ergo talis quoq; intentio ad sacramentum efficiendum sufficiens erit, quia non maior intentio requiritur ad sacramentum, quàm ad actionem meritoriam, vel demeritoriam.

284 Resp. negando consequentiam, est enim discrimen; quia cùm intentio ex parte suscipientis requiratur solùm, tanquam dispositio, seù conditio, per quam suscipiens intelligatur non repugnare sacramento, non est ex parte ipsius necessaria ulla alia actio humana, ut patet in parvulis; at verò cùm ex parte Ministri intentio requiratur, ut principium actionis sacramentalis, debet hæc humano modo fieri, & esse religiosa, & sacra in suo genere, quod fieri non potest per solam intentionem interpretativam; ideòque maior intentio requiritur in baptizante, quàm in suscipiente baptismum, qui non facit, sed tantùm recipit sacramentum, plus autem universaliter loquendo requiritur ad faciendum, quàm ad patiendum. Ex quo etiam patet solutio ad aliud negando patitatem, quòd enim martyrium etiam ratione carenti suum tribuat effectū per solam voluutatem in causa, ideò est, quia voluntas suscipiendi martyrium non habet ad illud, ut causa efficiens, sed tantùm, ut disponens, sicut voluntas ad suscipiendum sacramentum; Et quavis homicidium in ebrietate secutum, ei qui se voluntariè inebriavit, imputetur tanquam proprius effectus, non tamen illi imputatur, ut effectus humano modo ab ipso operatus, sed solùm interpretativè, quia moraliter ita se gessit, ac si humano modo operasset ex quo patet discrimen inter intentionem requisitam ad merendum, & demerendum ex una parte, & ad sacramentum efficiendū ex alia; nam ut intentio Ministri sit sufficiens ad sacramentum, comparari debet ad illud, ut causa ad effectum; ut verò actus sit meritorius, vel demeritorius, necesse non est, ut comparetur tanquam causa ad effectum bonum, vel malum, sed satis est, si terminetur, tanquam ad obiectū honestum, vel inhonestum; ex quo fit, ut actus per solam voluntatem in causa possit esse meritorius, vel demeritorius, quia potest voluntas in causa per modum actus terminari ad obiectum honestum, & inhonestum.

285 Secundò dicendum est, ad valorem sacramenti solam habitualem intentionem jam explicatam non sufficere; ita Doctor *loc. cit.* & est communis, & probatur, quia si intentio habitualis explicetur pro habitu derelicto ex actibus præcedentibus, ut nos explicuimus, hanc planum est non sufficere, quia potest esse in dormiētibus; hi enim multa aliquando faciunt ex habitu, quæ tamen neque ad præmium, neq; ad pēnam deputantur; quia sine deliberatione fiunt; si verò explicetur habitualis intentio cum Recentioribus pro actu præterito, & non retractato; nec etiam hoc modo sumpta est sufficiens, quia intentio ad conficiendum sacramentū requisita debet esse causa influens in eius confectionem, non enim requiritur omninò per accidens, aut concomitanter, sed est per se requisita: sed intentio merè habitualis in hoc sensu nullo modo potest esse causa confectionis sacramenti, neq; influere in illam; ergo sufficere nequit; maior patet, probatur minor, quia talis intentio neq; manet in seipsa, quia jam præteriit, neq; in aliquo effectu in de secuto, quia ut supponimus, nulla actio ad Sacram. ordinata fuit orta ex tali intentione, aliàs jàm non esset intentio merè habitualis, sed virtualis; cùm ergo Sacram. & eius effectio nec immediatè, nec mediatè ex tali procedat intentione, nam ad hoc sacramentum conficeretur, etiamsi non præcessisset illa voluntas, quæ dicitur habitualiter permanere; dicendum est, talem habitualem intentionem nullo modo sufficere.

Meld. in Quart. Sentent.

Dices, talis intentio sufficit, ut applicetur sacrificium Missæ pro aliquo, ergò pariter sufficiet, ut conficiatur sacramentum; probatur assumptum, quia quando quis promittit dicere Missam pro aliquo singulis anni diebus, & statuit id facere, etiamsi singulis diebus de hoc non cogitet, nec actu velit, aut etiam virtualiter, dicere Missam pro ipso, satisfacit obligationi, modò non retractaverit illam voluntatem; sed non habet diebus illis, quibus de hoc non cogitat, aliam intentionem, quàm habitualem; ergo simili; voluntas habitualis, dùm non revocatur, sufficiet ad valorem sacramenti, licēt non sit causa ponendi posteà talem actionem.

286 Resp. Vasquez *disp.38.cap.* 6. negando antecedens, quod tamen alii communiter concedunt, & est magis communi praxi cōforme, alioqui plures Sacerdotes non satisfacerent obligationibus contractis; & negant consequentiam, & Card. de Lugo *disp.* 8. *sect.* 6. disparitatem assignat satis congruam inter applicationem missæ, & intentionem conficiendi sacramentum; quòd qui applicat sacrificium futurum pro alio, in illo ipso instanti, quo applicat, facit, quod requiritur, ut sacrificium prosit ipsi, quando ponetur, et iamsi tunc, quando ponitur, nullam talem habeat intentionem etiam virtualiter, & nihil aliud fiat præter positionem ipsiusmet sacrificii, quæ positio non dependet ab illa volitione præterita; & quòd hoc fieri possit, ita declarat, nam sicut possunt aliqua ex nunc donari sub conditione, si crastina die in meam venerint potestatem, qua conditione eras posita, voluntas præterita transit in absolutā, & habet effectum; sic dicendum videtur de fructu sacrificii, cujus Sacerdos est quasi dominus, & dispensator ex Christi commissione; poterit ergò donare, vel dispensare illum fructum sub conditione, si ponatur sacrificium, quæ voluntas habebit effectum posita conditione, cùm sit legitimi dispensatoris, & non retractata; sed confectio sacramenti dependet ab intentione, non procedit autem ab intentione habituali, ut suprà probatum est, sicut nec Missæ celebratio provenit à voluntate illa, quam heri quis habuit illam dicendi ad intentionem alterius, quamvis ab illa proveniat, quod prosit illi; Sed melior quoque disparitas desumitur ex doctrina suprà tradita n. 277. quòd ut aliqua forma habitualiter permanere dicatur vel physicè, vel saltem moraliter, opus est, quòd in eo subiecto vel aliquem relinquat habitum, vel saltem obligationem aliquam sequentem ad illam formam, quo pacto actus contrahendi universaliter loquendo etiam præteriti moraliter permanere dicuntur, quia obligationē relinquunt; & ita est in proposito de Sacerdote, qui promittit dicere Missam pro aliquo singulis anni diebus, quia talis promissio obligationem relinquit, ratione cuius habitualiter permanere dicitur in genere moris, ideòque talis intentio habitualis sufficit, ut applicetur singulis diebus sacrificium Missæ pro illo; At non sic est de intentione iamdiù præterita de conficiendo sacramento, & non retractata, quia hæc nec physicè permanet nec in seipsa, nec in aliquo effectu ab ipsa secuto; nec etiam moraliter, quia nulla ex tali intentione præterita orta, est obligatio; ideòque intentio habitualis nullo modo dici potest.

287 Tertiò dicendum est, intentionēm actualem esse quidem sufficientem, imò sufficientissimam ad valorem sacramenti, non tamen esse necessariam; Conclusio est communis, & quidem quoad primam partē satis de se patet, quia actualis intentio inter omnes est perfectissima in ratione intentionis, & ita sine dubio sufficientissima est; Quoad alteram pattem est etiam certa, quia ut ait Doctor, Deus non obligavit hominem ad impossibile, vel nimis difficile, sed moralitet impossibilis est continuata attentio in aliqua actione, quia ut ait Aug. *3. de lib. arb.* non est in potestate nostra, quin visis tangamur, & experientia docet, obiectum sensibile ob concomitantiam, & connexionem appetitus sensitivi cum intellectivo voluntatem distrahere, & rationem.

Confirmatur, quia non major intentio requiritur in actionibus sacramentalibus, quàm in aliis actionibus moralibus, & meritoriis; sed ad omnes actiones humanas, & contractus exercendos non necessariò requiritur actualis intentio, sed sufficit virtualis; communis enim modus agendi in hominibus hic est, & hoc modo validi sunt contractus omnes, & omnes actus humani, & hoc sufficit, ut oratio vocalis sit meritoria; ergo &c.

288 Quartò dicendum est, solam virtualem intentionem superiùs declaratam esse sufficientem, & necessariam ad conficiendum verum sacramentum; ita Doctor *loc. cit.* & est communis, quia aliàs esset moraliter impossibile vera sacramenta conficere, nam moraliter impossibile est, quòd semper habeatur intentio actualis, ut dictum est, ergò si virtualis non sufficeret, quæ mediat inter actualem, & habitualem, ut perfectior ista, & imperfectior illa, moraliter esset impossibile conficere vera sacramenta, quando occasio postulat, quod satis absurdum esse, de se patet.

Hic autem duplex occurrit difficultas. Prima est, quomodo ex illa voluntate, quæ dicitur virtualiter permanere, proveniant omnes actiones subsequentes, in quibus, vel ratione quarum dicitur virtualiter permanere, cùm actu non sit;

missam celebrare exit è cella, pergit in Sacristiam, induit se sacris vestibus, & vadit ad altare, ubi sine ulla memoria illius intentionis ampliùs, quia distrahitur, inchoat, & prosequitur missam cum tali distractione; quomodò ergò omnes illę actiones ab illa volitione proveniunt? Altera difficultas est, quanto tępore possit hęc virtualis intentio durare, & quæ conditiones requirantur, ut censeatur adhuc esse virtualis intentio, & non habitualis tantùm.

289 Ad primã difficultatẽ dicendum est, intentionem præteritam, & non revocatam duplicem esse posse, vel dupliciter contingere posse; primo itaut nullũ habeat influxũ in administratione, & confectione sacramenti v. g. si hodie applicem sacrũ crastinum pro tali defuncto, quæ voluntas nullo modo est causa, quod ego cras faciam sacrũ & ideò hæc intentio dicitur merè habitualis; sic pariter si die externa, vel altera præcedenti infantem baptizare proposui, & oblata occasione hodie, vel cras illum baptizo nil ampliùs de hoc cogitando, hæc pari ter censetur intentio merè habitualis nullum habens influxum, nec physicum, nec moralem in hujus sacramenti administratione, Alia verò intentio est, quæ habet influxum saltem remotum in sacramenti confectione, ut cùm Sacerdos intentione celebrandi se in Ecclesiam confert, se præparat ad celebrandũ, sacras induit vestes, & missam celebrat, tunc etiamsi in recitando missim distractio contingat ab illa prima voluntate, adhuc tamen prior illa voluntas manet in mentem in primo illo effectu, & ex illo derivatur in subsequentes ratione connexionis, quam habent, eo modo quo explicatum est suprà nu. 281. ac proindè, quamvis illa prior actualis intentio toto tempore sacri non duret, quia tamen manet in virtute in omnibus actibus sequentibus ex illa prima intentione, ideò verè sacramentum perficitur, & verùm est dicere, quod hic effectus præsens ab illa prima voluntate, ortum habet, in quo differt à voluntate merè habituali, quæ ita est præterita, ut nullum influxum habuerit in effectum præsentem.

290 Ad aliam difficultatem respondet Suar. *cit. sect. 3. §. quo circà dicendum*, ut illa prima intentio durare dicatur, & perseverare in actibus subsequentibus, opus esse, vt ex vi procedentis actualis intentionis moveatur homo ad efficiendas aliquas actiones de se ordinatas ad sacramentum conficiendum, & continuet; nam si per actionem disparatam interrumpat, tenetur iterum novam habere actualem intentionẽ, alioquin si tali pacto conficiat, sola habituali intentione confecturum, quæ non sufficit, ut si quis habens intentionem conficiendi sacramentum Baptismi, & ex hac intentione moveatur è cella, & accedat ad Ecclesiam, & cætera præparet, si omnes sint actiones continuatæ, durat virtualis intentio, quia omnes sunt actiones ordinatæ ad id, quod actualiter intendebat; sed si intermediet tractando aliquod aliud negotiũ, & postea restaurat, dicunt exigi novam intentionem actualem, quia virtualis jàm cessavit per illam interruptionem, quem dicendi modum sequi videtur. Vasquez, Coninchius, Becanus, Meratius, Caspensis, Molfesius, & alii Recentiores dicentes, quòd si interrumpantur actiones procedentes ex vi actualis intentionis, censeri quod cessaverit etiam virtualis intentio.

291 Verùm, quamvis hic dicendi modus sit tutior, tamen est adeò rigorosus, ut in pluribus casibus dicendum esset, Sacerdotes sacramenta non conficere, sępè enim accidit, ut intendens aliquod sacramentum conficere, & hac de causa ad Ecclesiam accedens, aliquod incidenter occurrit negotium, cui incumbit, & posteà absq; novo actu accedit ad sacramentum conficiendũ; Mitiùs ergo cum Doctore dicendũ *loc. cit.* intentionem virtualem semper adtantùm tęporis fluxerit, quod moraliter censetur ab actuali processisse, licèt interim aliqua actione disparata interrumpatur; unde inquit Doctor, quòd si quis intendat ire ad Sanctum Iacobum, licèt non semper cogitet de Sancto Iacobo, & eius reverentia; dùm tamen exercet actiones ad talem finem ordinatas semper meretur, quia ex actuali procedere censentur, licèt cum illis actibus cõcurrant aliqui actus distrahentes ab intentione illa ptima, & ab intentionibus eorum, qui sunt ad illum finem; Undè paulò infrà inquit, ex his concludo, quod sufficit in baptizante intentio virtualis, hoc est, quòd aliquando habuerit intentionem actualem, ex qua descendit nunc verè actus baptizandi, sive in isto actu habeat intentionem actualem, vel aliquam ex ea descendentem, sive non; intelligo autem, inquit, quod descendit ille actus absq; omni motù voluntatis contrario, quod etiam explicat exemplo Sacerdotis volentis celebrare; Quæ doctrina valdè probabilis est, & multos sedans scrupulos, nec destituta ratione, quia interruptio, ut sic, non officit, quin censeatur intentio virtualis durare; alioquin quælibet etiam modicissima obstaret, ut si quis dùm sacras induit vestes ad celebrandum, brevem excipiat nuncium de aliqua re, quod nimis durum esset asserere; nam non obstante tali interruptione, si Sacerdos ille interrogetur, cur vestes induat sacras, respondebit adhuc, quia statuit Missam celebrare; ergò signum est, quòd non obstante tali interruptione prędictę actiones fiunt ex vi actualis intentionis, quæ præcessit, quod non accidit, quando intentio est merè habitualis; quem dicendi modum amplectitur Morandus *tract. 1. de sacrament. in genere q.* 19. cum aliis Recentioribus, Regnald. *in praxi Confess. tom. 2. lib. 26. cap.* 5. & alii Summ.

292 Quintò tandem dicendum est, ad efficiendum sacramentum necessariam esse intentionem absolutam, neq; sufficere conditionatam, nisi talis sit, quę statim transeat in absolutam. Hęc etiam est communis, & ratio primæ partis est, quia intentio pro conficiendo sacramento debet esse efficax, at sola absoluta est efficax, nõ verò conditionata, ergo illa est necessaria; probatur etiam, & explicatur quoad alteram partem, quia conditio apposita intẽtioni, vel est de futuro, vel pręterito, vel præsẽti, si est de futuro, ut v. g. absolvo te, si cras restitutionem feceris, non conficit sacramentum; ratio est, quia talis conditio de futuro suspendit intentionẽ præsentem, & facit, quòd tunc Minister intentionem non habeat, quia intentio, quam habet, dependet ab illa conditione futura; sed ad sacramenta conficienda requiritur intentio de præsenti, quia requiritur intentio influens in administrationem illorum, vel actualis, vel saltem virtualis; Si verò intentio est de præterito, vel de prę̃senti, opus est, ut vel omninò destruat intentionem, vel ut illam relinquat absolutam, & efficacem; nam si conditio illa nec fuit, nec est, jàm destruit intentionem, quia voluntas sub conditione, non posita conditione, nulla est; si verò conditio illa vel fuit, vel est, jam intentio transit in absolutam, quia voluntas sub conditione, posita conditione, fit absoluta. Unde quando quis alterũ baptizat sub hac conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo, illa conditio vel est adimpleta, vel non, si non est adimpleta, destruitur intentio ob rationem allatam; si verò est adimpleta, intentio transit in absolutam, & ita conficit sacramentum; & hac de causa jura consulunt, quòd si sacramenta fiunt sub conditione, hæc conditio sit de præterito, vel de præsenti, non verò de futuro, nam adimpleta conditione, conficitur sacramentum; non adimpleta verò, non conficitur, quia statim intentio destruitur.

Dices, quòd si sacramentum conficiatur sub conditione de futuro, etiam si tunc non fiat, quia non adest intentio, fiet tamen posteà, si conditio apposita impleatur. Respond. nec etiam posteà fieri, quia ad conficiendum sacramentum ultra Ministri intentionẽ requiritur materia, & forma sacramẽtij; ac posteà cùm impletur conditio, licèt intentio adesset, non tamen adest materia, & forma sacramenti, quippe quę jàm pręteriit, & ideò nec nec anteà, nec post fit sacramentum.

QUÆSTIO OCTAVA.

An in statu Innocentiæ fuerint aliqua Sacram. vel saltem fuissent, si perseverasset.

293 Circà primam quæstionis partem non est magna difficultas loquendo enim de facto, & de statu innocentiæ, in quo fuerunt nostri primi parentes Adam, & Eva, est ferè communis opinio nullum fuisse tunc institutum sacramentum, aut traditum Adamo in statu illo, quatenus brevi tempore ante lapsum duravit, & facile suadetur, quia nullum de facto judicium extat ratione, vel auctoritate fundatum alicuius sacramenti, quod in eo statu primis parentibus datum fuerit, quia cùm tempus illud brevissimũ fuerit, itaut sacramentorum usui locus vix esse potuerit, non erat, cur Deus ullum sacramentum pro tunc instituerit, & planè de statu innocentiæ tot rationes, & congruentiæ non procedunt, quot spectat ad statum naturę lapsę, ut pro sacramentorũ institutione, ut notat Doctor 4. *d. 1. q. 3. ar.* dum inquit, pro statu innocentiæ non fuisse congruum institui sacramentum, sicut post lapsum; quia etsi tunc homo potuerit ex sensibilibus cognoscere intelligibilia, tamen nullum sensibile fuit necessarium, tanquam conferens ad salutem, removendo aliquod impedimentum salutis, ut scilicèt dici possit propriè medicina; quæ ratio Doctoris fundamentũ habet in communi Sanctorum Patrum consensu existimantium occasione peccati, & in eius remedium sacramenta instituta fuisse, ex quo consequenter deducere licet, in statu innocentiæ ante peccatum nullum fuisse institutum sacramentum; hoc enim sine ullo prorsus fundamento fingeretur, cùm neq; ex Scripturę testimonio, aut Patrum, neq; ex traditione Ecclesiæ constet, ullum tale sacramentum fuisse institutum, prout hic de sacramenti agimus.

294 Solùm de matrimonio potest esse aliqua dubitatio, quia verè ante peccatum Adam, & Evę, coniugium celebratum fuit; & Apostolus ad Ephes. 5. propter illa Adami verba, *hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* dixit: *sacramentum hoc magnum est in Christo, & in Ecclesia*, qua nixus auctoritate Alensis 4. *par. quæst. 1. membr. 2. ar. 1.* asserit, matrimonium in statu innocentię verè fuisse sacramentum, inquit enim, matrimonium duplici ratione posse dici sacramentũ, vel quatenus significat gratiam perficientem, vel quatenus significat gratiam reparantem; priori modo sumptum sacramentum ait, benè institui potuisse antè lapsum, & tale, inquit fuisse matrimonium in statu innocentiæ, quem mordicùs sequitur Catharinus, *tract. de matrim. quæst.* 3. quod etiam sensisse videtur Hugo *lib. 1. de sacram. cap.* 12. & 13.

Hinc difficultatem tangit Doct. *loc. cit.* quam remittit inferiùs resolvendam, nempè 4. *d.* 26. *q.* 1. *§. de primo*, ubi inquit lit. K. non posse

posse dici, quòd Sacram. matrimonii sit institutum in statu innocentiæ Genes. 2. quia omnia Sacramenta habent efficaciam à passione Christi exhibita, vel previsa; si autem status innocentiæ stetisset, passio Christi non fuisset exhibita, nec previsa, & subdit, in matrimonio esse rationem contractus, rationem matrimonii, & rationem sacramenti, & secundum illa duo prima fuisse à Deo institutum matrimonii in statu innocentiæ, quod inquit Christus Math, *quod Deus coniunxit, homo non separet*, quia approbavit contractũ illum matrimonialem; tamen in ratione sacramenti fuit à Christo institutum; & ad testimonium Pauli adductum inquit, intelligi debere Sacram. latè accepto, idest, pro signo rei sacrę, cuius tamen non est causa, vel signum aliquod efficax, & prout Sacram. significat *mysterium*, eo quòd illud matrimonium fuit aliquale signum futurę desponsationis Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia; undè cùm nulla sanctitas tunc causata fuerit in illius matrimonii virtute, non potuit habere veram, ac propriam Sacram. rationem, prout hic de eo agimus; qua solutione passim utuntur Recentiores omnes; Et tandem si matrimonium illud fuisset verè, & propriè Sacram. à Deo institutum in statu innocentiæ, perseveraset etiam posteà in statu naturæ lapsę, & legis Mosaycæ, quod omnes negant; perseveraset, inquam, etiam in Mosayca lege, quia nulla ratione constat, aut auctoritate, quòd posteà fuerit abrogatũ idem clariùs habet Doct. 4. *d.* 39. *q.* 1. infrà A. quòd matrimonium non esset sacramentum, etiamsi status innocentiæ duraset.

295 Circà alteram quæstionis partem est maior difficultas, an, scilicèt, aliqua fuissent sacramenta in statu innocentiæ, si perseveraset, Adamo non peccante, & quidem quæstio movetur de facto, & non de possibili, quia omnes admittunt, non repugnare, quòd etiam in eo statu aliqua sacramenta fuissent, imò & aliquas congruentię rationes suppetere, ut tunc etiam institueretur, nam status ille, quamvis perfectissimus, adhuc tamen cognitionem habuisset spiritualium à sensibus dependentem, & per consequens adhuc sacrorum symbolorum sensibilium capax fuisset, per quorum notitiam in abstractam, & obscuram latentium mysteriorum cognitionem homines duci potuissent; & planè sicut contrà perfectionem status illius de facto non fuit, ut primi nostri parentes dependenter ab abstinentia unius pomi sensibilis justitiam originalem conservarent, tàm pro se, quàm pro posteris; ita neq; contrà eiusdẽ status perfectionem fuisset dependenter à signis sensibilibus notitiam rerum divinarum accipere, nec non eiusdem justitiæ accrementum. Et hoc totum est de mente Doct. *loc. cit.* ubi absolutè non negat congruentiam instituendi sacramenta pro eo statu, sed collativè tantùm cum statu lapsus, dùm inquit, non fuisse congruum in statu innocentiæ sacramenta instituì, *sicut post lapsum*, ubi constat, particulam illam *sicut* esse collativam, ac proindè non excludere quamcunq; congruentiam pro statu innocentiæ, sed solũ tantam, quanta est in statu naturæ corruptæ; Unde quando Scot. affirmat cognitionem tunc etiam ex sensibilibus fuisse, congruentiam assignat parem pro eo statu, & pro statu post lapsum; & cùm deinde negat, sensibile illud potuisse dici medicinam, in hoc assignat disparitatem congruitatis pro isto, & illo statu; Ex quo liquidò constat, Doctorem aliquam quoque congruentiam agnovisse pro instituendis sacramentis in statu innocentiæ. Est ergo sola difficultas, an de facto in eo statu fuissent sacramenta, non enim hoc ipso, quòd aliquid conveniens est, futurum est, quia cùm futuritio à divina pendeat voluntate, etiamsi in eorum institutione maxima appareret convenientia, non ob id affirmare possumus, ea in ista non fuisse congruum institui sacramentum, sicut post lapsum; quia etsi tunc homo potuerit ex sensibilibus cognoscere intelligibilia, tamen nullum sensibile fuit necessarium, tanquam conferens ad salutem, removendo aliquod impedimentum salutis, ut scilicèt dici possit propriè medicina; quæ ratio Doctoris fundamentũ habet in communi Sanctorum Patrum consensu existimantium occasione peccati, & in eius remedium sacramenta instituta fuisse, ex quo consequenter deducere licet, in statu innocentiæ ante peccatum nullum fuisse institutum sacramentum; hoc enim sine ullo prorsus fundamento fingeretur, cùm neq; ex Scripturę testimonio, aut Patrum, neq; ex traditione Ecclesiæ constet, ullum tale sacramentum fuisse institutum, prout hic de sacramenti agimus.

296 In hac controversia tres sententię, duæ extremę, & una media; Prima sententia extrema absolutè affirmat, futura fuisse in eo statu sacramenta, etiamsi Verbum incarnatum non fuisset, ita Centinus ex nostris *dis. 1. de sacram. in genere cap.* 2. & Motandus cum quibusdam aliis Recentioribus. Secunda sententia extrema absolutè negat, futura fuisse sacramenta in eo statu, sivè incarnatum, sive non incarnatum fuisset Verbum, ita Caietanus, Valentia, Vasq. Becanus, Amicus, Caspensis, Meracius, Aversa, & ex nostris Hiquetus, Poncius, Faber, ac alii Recentiores, citantes plures antiquiores. Tertia tandem sententia media affirmat, futura fuisse in eo statu sacramenta, supposito quòd in eo statu futura adhuc esset incarnatio Verbi, negat autem, tali hypotesi non concessa, ita Suarez Baldius, Coninchius, Cardinalis de Lugo, Nugnez, & ex nostris Aretinus, Rada, Brancatus, & alii Recentiores.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolutio Quæstionis negativa.

297 Dicendum est cum secunda sententia, quòd quantũ coniectare licèt ex congruentiis, quæ pro utraq; parte adduci solent, verisimilius est, quòd si status innocentiæ duraset, nulla fuissent in eo sacramenta instituta, sive Verbum fuisset incarnatũ, sive non. Ita clarè ex Scot. deducitur *loc. cit.* cùm inquit, quòd quamvis in statu innocentiæ posset esse profectus instructionis, & scientię ex sensibilibus, hoc tamen non sufficit ad sacramenti institutionem, cùm ibi nullum esset impedimentum salutis, quod removeri deberet per medicinam, & quòd matrimonium non esset sacramentum, etiamsi status innocentię duraset.

Primò autem probatur, quòd nulla fuissent in eo statu sacramẽta, supposita sententia, quòd Adamo non peccante Verbum non esset incarnatum; de facto enim omnia sacramenta sunt à Christo Domino instituta in remedium naturę infirmæ, & in gloriam, & exaltationem ipsius Christi; ex Scoto 4. *d.* 26. *cit.* ergo negata hypotesi incarnationis Verbi, nulla fuissent sacramenta ex his, quæ de facto sunt instituta; Consequentia probatur, nam quòd fuissent vel non fuissent instituta, deduci, debet exdecreto, quo de facto sunt à Deo instituta; at hinc potiùs deducitur oppositum, siquidẽ vi prę̃sentis decreti Deus sacramenta instituit, ut instrumenta passionis Christi in remedium naturæ infirmę, & pariter in gloriam, & exaltationem ipsius Christi, at perseverante innocentię statu, & Verbo non incarnato, omnia hæc motiva cessarent, ergo &c.

Respond. Morandus *tract. 2. de sacram. in genere quæst.* 7. quòd esto Verbum non esset incarnatum, Adamo non peccante, non per hoc tamen cessasset convenientia Sacram. quia hęc non considerantur ponẽs Christum, sed statum ipsum, & conditionem hominum, qui in illo vixissent; & gratis concedit, quòd tunc non fuissent sacramenta eiusdem rationis, ac modò, & quòd non niterentur in meritis Christi, neq; illum ullo pacto significarent; sed immediatè ipsum Deum respicerent.

299 Hæc tamen solutio valdè frivola est, hic enim sermo est de sacramentis, quæ modò extant, & sunt signa sensibilia gratiam cõferentia ex opere operato, & non de sacramentis alterius rationis, alioquin quęstio ad litem reduceretur de nomine, quid nempè intelligendum sit nomine sacramenti; infrà autem ostendemus, institutionem sacramenti in hoc sensu non fuisse convenientẽ statui, & conditioni hominum, qui in statu innocentiæ vixissent, quia facilè poterant ob perfectionem illius status, & naturæ integritatem gratiam, & eius augmentum acquirere propriis actibus cum aliis divinis auxiliis, ac per consequens illi statui non conveniebat, quòd in eo esset instrumentum causans gratiam ex opere operato, quale est sacramentum, prout de eo hic loquimur; adhuc tamen concedimus, sacramenti institutionem etiam in hoc sensu non esse ita contrà perfectionem, & conditionẽ illius status, quasi implicet contradictionem. Deum in eo statu sacramenta instituere; & solùm asserimus, non fuisse illi statui congruam, & proportionatam, ut enim pluribus in locis docet Aug. *de natura, & gratia cap.* 48. *& de corrept. & grat. c.* 10. *& seq.* de Civit. *lib.* 14. *c.* 26 & alibi frequenter, non habuissent homines in illo statu difficultatem recte operandi, neq; errorem in cognoscendo propter justitiam originalem, hæc enim duo secuta sunt peccatum, tanquà pena; unde sine adminiculo ullo gratiæ per sacramentum recipiendę potuissent se conservare, & propriis actibus cum gratia Dei elicitis habitualem gratiam augere usq; ad terminum magnitudinis in via requisitum; ergo talis conditionis status sacramenta non congruebant, quia in eo gloriæ assecutio posita erat in meritis liberi arbitrii cum gratia Dei actualis, quæ potestatem dabat operandi, & consequenter alia media erant superflua.

299 Secundò probatur, quia loquendo de facto, & de statu innocentiæ, in quo fuerunt primi nostri parentes, nullum fuit institutum sacramentum, ut fert communis opinio, & suprà probatum est ab initio quæstionis; ergo neq; institutum fuisset, si posteà perseveraset; probatur consequentia, quia confirmatio posterorum in eo statu à perseverantia primorum parentum dependebat, unde potiùs congruum videbatur, quòd pro eorum perseverantia Deus aliquod sacramentum institueret, quo faciliùs adiuti diabolicæ tentationi resisterent, quàm pro posteris; cùm ergo hoc non obstante non instituerit illud pro eis, verisimile est, quòd neq; pro istis instituisset, si status innocentiæ perseveresset.

Respondent, quòd à principio status innocentiæ instituisset Deus sacramenta, nisi previdisset parvam illius durationẽ; Quòd si duraset, verisimile est, quòd sacramenta instituisset, quia status diuturnus perfectior quoad gratiam, qualis tunc fuisset, si duraset exigit institutionem mediorum proportionatorum statui, quibus gratia perfectiùs augeatur, cuiusmodi sunt sacramanta. Contrà, imo hac ratione verisimilius videtur, quòd de facto etiam debuisset sacramenta instituere, quibus adiuti primi parentes faciliùs tentationi eius pomi resisterent, & statum innocentiæ pro se, & posteris conservarent; res tamen ita se habet, quòd ante prævisionem casus primorum parentum, decrevit illis dare, quæcunq; ad eum statum pertinebant, prout ab ipso institutus fuit, & de facto dedit eis, & omnia, & quantum sat erat ad resistendum diabolicæ tentationi; neq; ob prævisionem casus eorum abstulit eis privilegium aliquod, vel adiutorium, quod ad perfectionem illius status pertineret; quarè ex modica illius status duratione solùm à posteriori deduci potest, quòd pro eo non fuerint sacramenta instituta, non verò à priori.

Meld. in Quart. Sentent.